

cant, quando signum *Omnis* sumitur in enunciatione pro singulis generum, illa enunciatio commodè potest exponi per descensum copulativum, ut descensus fiat ad individua, ita sumitur subjectum hujus: *Omnis homo est animal*, hic vox *Omnis* distribuit subjectum in omnia sua inferiora seu individua humana. Sic etiam quando dicitur 1. *Timoth. 2. Qui dedit semetipsum pretium pro omnibus*, sensus non est quod se ipsum tradiderit tantum pro generibus singulorum, sive hominibus omnium nationum, sed sensus est, quod tradiderit se pro omnibus individuis humanis, cujuscunque etiam generis sint. Discrimen inter signum universale pro generibus singulorum positum, & inter signum universale pro singulis generum acceptum, statuitur à Fonseca quod omne nomen quod pro generibus singulorum accipi potest, possit etiam accipi pro singulis generum, non autem contra, omne nomen quod potest accipi pro singulis generum, possit etiam accipi pro generibus singulorum, ratio est, quia omne nomen quod sub se continet plures species, ut vox *animal*, *lupum*, *leonem*, *equum*, *hominem* &c. continet etiam individua omnia quæ sub talibus speciebus continentur, non omne autem quod continet plura individua, plures etiam species continet ut patet in voce *homo* & aliis nominibus specierum infimarum.

TH. IIX. Vox *Omnis* collectivè accepta significat aliquid sumi pro suis inferioribus conjunctim. Dicitur, quod vox *Omnis* collectivè sumatur, quando significat aliquid sumi conjunctim, hoc est quando notat congregationem omnium & ostendit ea, quæ sub subjecto continentur conjunctim esse sumenda, ut prædicatum iis seorsim sumtis non conveniat unde et-